

Za
4694

XI, 40 f

4237





Oratio
 IN FVNERE
 REVERENDI ET CLA-
 RISSIMI VIRI DOMINI
 IOACHIMI CAMERARII
 Pabebergensis, vtriusq; linguæ in Academia
 Lipsica excellentiss. Professoris, XIX. D.
 Aprilis in æde collegij Paulini
 Lipsiæ habita
 ab
Andrea Freyhubio D. Theologiæ.




LIPSIAE
 IOHANNES RHAMBA
 EXCVDEBAT
 Anno
 M. D. LXXIIII.

Опыт
ЭЯЗИЧИ
заго га исходя из
иимод якум газия
таяя тка синдо ои
безопасности
ДХЛ земли со
головы Новограда
восточн



312913
Анна Баранова
Баранова
Поников

ORATIO.



*T*si conscius mihi sum, Ma-
gnifice Rector, illustris Comes, ac
generosi Barones, vosq; pietate, sapientia,
dignitate, prudentia, eruditione doctri-
nae, virtute & humanitate Reuerendi,
amplissimi, clarissimi, & ornatisimi
Viri, tuq; bonarum artium, & omnis honestatis studiosa iuuen-
tus, Etsi, inquam, omnino me& mihi sum conscius tenuitatis, &
non ignoro, me intam augusto & frequente conuentu ad dicen-
dum minus idoneum & paratum esse, (præsertim cum & breue
mihi ad cogitandum sit tempus datum, ac publicus luctus, pro-
pter tristem casum obitus summi & Clarissimi Viri Domini
IOACHIMI CAMERARII, charissimi Præceptoris
nostrí, qui totius Germaniae lumen, & Scholæ nostræ firmissima
columna fuit, me quoq; multò reddiderit languidorem) tamen
cum egregia pietas, excellens doctrina & virtus illius amplissi-
mam sanè laudum commendationem mereatur, non debui, nec
potui, saluo officio & reuerentia debita Præceptorí mei amantissimo,
intermittere, quin accedente etiam eorum iussu ac manda-
to, quorum apud me non immerito plurimum autoritas valet,
aliquam saltem memoris & grati animi significationem erga
charissimum Præceptorem, de Ecclesia & uniuerso orbe Christia-
no, de bonis literis, de hac tota nostra Schola, & priuatim ferè de
omnibus nobis præclarè & optimè meritum, declararem. Omnino
autem fateri me oportet, nisi impudens & arrogans velim ha-
beri, à quibus vitijs & natura & totius vitæ meæ abhorret con-
suetudo, quod suscepsum argumentum nequeam satis pro digni-
tate tractare, & desit hoc tempore piè in Christo defuncto Præce-
ptori nostro, Viro clariss. idoneus præco ingenij, sapientie, do-

etrinæ, & virtutum ipsius, qualem Achilli contigisse, ad huius tumulum constitutus, Alexander ille magnus, terror & victor orbis, in non postrema felicitatis parte numerauit: Voluntas tamen mea & conatus aliquis ornandi illum laudibus suis, ut spero non omnino improbabitur. Cum in magnis etiam voluisse verius Poëta satis esse pronunciet. Planè autem mihi habeo persuasum, fore posthac, & quidem non longo interiecto temporis spacio, ut à Viris ingenio, doctrina & eloquentia præstantibus, quibus Præceptor noster notus & charus fuit, hoc argumentum, & tanti Viri laudatio multo copiosius & splendidius tractetur & peragatur. A nobis vero, pro huius temporis ratione, pauca quedam, opera planè tumultuaria congesta, de origine, ingenio, educatione, doctrina, & vita ipsius, ac præclarissimis erga hanc Academiam meritis, cum totius scholæ huius, tum nostræ erga illum obseruantæ & amoris testificandi caussa, commemorabuntur, quæ ut candidè à vobis uniuersis ac singulis accipientur, & in optimam interpretentur partem, qua decet ac par est reuerentia & submissione peto. Natus est Vir Clarissimus Dominus IOACHIMVS CAMERARIVS, charissimus Præceptor noster, in vetusta & celeberrima Francie Orientalis urbe Bamberga, die XII. Mensis Aprilis, Anno à nato in his terris ex semperuirgine Maria filio Dei, supra Millesimum quingentesimo, ex amplissima & honoratissima familia Camerariorum, de cuius antiquitate & dignitate eximia, supra trecentos annos retro, certa & perspicua argumenta, diplomatum publici magistratus autoritate & sigillis confirmatorum, adhuc hodiè extant. Id quod multo etiam ante indicatum est græcis & latinis Versibus, quos, à se factos, insignibus suæ gentis subiici, in quodam typis euulgato libello, curauit Præceptor noster, quos hic inscrendos duximus, cum persuasum nobis omnino sit, quibus antea ignoti fuerunt, illos cupidè eosdem cognituros esse, sunt autem hi Versus:

Terto



Tύτο τριγωνωδῶν πατέρων ἀπό σῆμα κορωνῶν,
Τῶν Καμεραριαδῶν ἐσὶ Παβεργίεων.
Οὐ μὲν ἄγαν περιφημον, ἐοῖς γνωσὸν δὲ πολίταις,
εἰς δειθμηθέσας τρεῖς τρεῖς ἐτῶν γενεάς.
Ιλαρίο σὺ δὲ χρίσ· Πτὴ λοιπὰ τιθεῖς, ὅσαγ' ἔσαι,
ἀλεν ἔχοις πιεσὸν τὸν δὲ δόμον πελάτῳ.

Cornicū triquetræ sunt hæc insignia formæ,
Est Camerariadum quæ nota prisca domus.
Hic ubi adhuc Pabeperga suis stat nixa ruinis,
Cæsareasq; agrè, quassa tuetur opes.
Non turpis nota, non opibus quanquam inclyta, nouit
Annis sed centum ter prope quam patria.
At tu Christe voles quodcunq; adiungere tempus,
Quæso clientelæ seruiat omne tuæ.

Sunt autem nonnulli fide sane digni, qui non leui coniectura
ducti, ex eo, quod præcipua quædam & antiquæ familie Fran-
cice à publicis, ut sœpè fieri consuevit, muneribus appellatae inue-
niuntur, existimant, etiam Henrici Claudi ætate (qui Episcopa-
tum Bambergensem, ante annos Quingentos, & aliquot amplius,
Rinoldo comite sine prole mascula extinto, constituit, & an-
no Christi Millesimo, Vicesimo quarto Bambergæ mortuus est)
gentem Camerariorum in aliquo præcipuo nobilitatis & digni-
tatis gradu collocatam fuisse. De quo plura nunc commemo-
rare ac disputare non est necesse, cum multo firmiora & illu-
striora verarum Preceptoris nostri laudum argumenta sint in
promptu. Patrem habuit ille I O H A N N E M C A M E R A-
R I V M patritium Bambergensem dignitatis & fortunæ ne-
quaquam contemnendæ, qui filium, à prima statim pueritia,
quod pietatis, prudentiæ & virtutis ipsius illustre documentum
est, liberaliter educari voluit, & cum domi, tum in publicis scho-

lis patriæ, diligenter institui atq; erudiri curauit, ac piè in Christo
mortuus est Bambergæ Anno Christi 1527. Aetatis vero suæ
Octogesimo secundo, Non solum liberis, cognatis & amicis: sed
etiam omnibus ciuibus suis, & notis ingenti sui desiderio relicto.

Mater illius fuit Martha, ex familia Vuceliorum, le-
ctissima fœmina, quæ præter virtutes præcipuam laudem & de-
cūs sexui muliebri conciliantes, pietatem dico, modestiam, casti-
tatem, amorem mariti & liberorum, diligentiam in admini-
stranda & custodienda refamiliari, etiam singularem pruden-
tiæ & nonnullam doctrinæ opinionem apud ciues suos adepta fu-
it. Id quod cum multis alijs indicijs planum fieri potest, tum ex
eo clarissime apparet, quod cum Erphordia VVitebergam se con-
tulisset Praeceptor noster, & quasdam conciones, ex ore Reuerendi
& Clarissimi Viri D. Martini Lutheri istic exceptas, manus sua
exaratas ad matrem misisset, magnopere hæc sibi easdem proba-
ri, & se ex illis mirificam quandam hausisse consolationem re-
scripsit: Sed simul tamen monuit filium, caueret sibi, ne temerè
cuiuis fidem haberet. Reperiri enim omnibus ætatibus permultos,
qui, quadam pietatis, veritatis, & sanctitatis specie, auditores
& discipulos suos grauissimis & perniciosissimis erroribus inuol-
uant, & ad præcipitum exitij sempiterni adducant. Ac planè
videri posset alicui, acumen ingenij materni, vires autem & ro-
bur corporis paternum, repræsentasse Praeceptorem nostrum, licet
hoc non de toto vitæ ipsius tempore, sed peculiariter de prouectiore
ætate, usq; ad afflictionem extremam senectam, sit intelligen-
dum. Nam in pueritia, adolescentia & iuuentute cum varijs
morbis illum fuisse conflictatum, & diu alterum pedem habuisse
male affectum constat. Senectus vero ultima ob vehementiss.
nephriticos & disûricos dolores ipsi perquam molesta fuit. Inge-
nium charissimi Praeceptoris nostri præstans, & ad omnis libera-
lis scientiæ cognitionem factum à natura & aptissimum fuit,
ideo inter æquales sui similes per paucos, superiores habuit nul-
los. Cumq;

los. Cumq; in pueritia quoq; discendi studio omnino flagraret,
& prima fundamenta eruditæ doctrinæ, precepta Grammatices,
in patria sua feliciter percepisset, recens annum atatis ingressus
Decimum quartum, uberioris ingenij cultus capiendi caussa, tan-
quam ad mercaturam quandam copiosam & splendidam, An-
no Christi 1513. adducente ipsum matre, Mense Aprili, in
hanc Academiam peruenit, & traditus fuit curæ atq; discipline
M. Georgij Helti Forchemij, cuius pietatem, prudentiam, vir-
tutem & humanitatem in omni vita, doctrinam vero, fidem ac
diligentiam, plane paternam in commissis discipulis, sæpiissime
ab illo audiuimus prædicari. Et extant singularis amoris erga
Heltum præceptoris nostri illustria argumenta, in editis varijs
scriptis huius, quibus illius memoriam studuit ad omnem poste-
ritatem transmittere & celebrare.

Ac scimus apud illustriss. Principes Anhaldinos hone-
stissimo loco fuisse Magistrum Heltum, & in gubernatione re-
gionum, quibus illi præsunt, operam ipsius multis annis utiliter
& salubriter usurpatam, nec sane ante multos annos defunctum
versibus Epitaphijs, qui in æde Dessauiense hodieq; affixi conspi-
ciuntur à nostro Præceptore ornatum fuisse. Ut satis res ipsa de-
claret, iustas ac graues illius commendandi & prædicandi ha-
buisse caussas Præceptorem nostrum, qui sub disciplina eiusdem,
breui temporis spacio, in studijs sapientiae & virtutis, quæ tum
quasi reuiuiscere videbantur, magnos & laudabiles progressus
fecit, & non obscura signa de se præbuit illius excellentiae, quam
deinceps, in omni fere studiorum genere, consecutus & adeptus
fuit. Ideo & eodem anno, Mense Septembre, titulo ac dignitate
Bacularij, à Communitate studij bonarum artium in hac Aca-
demia, ornatus fuit. Quare & præclaram de se omnium bono-
rum spem atq; expectationem concitauit, & parentibus, cognatis
& amicis suis non paruam exhibuit occasionem lœtandi. Cumq;
in discendis bonis artibus & lingua Latina biennium integrum
in hac

in hac Schola consumisset, suasu & hortatu præceptoris, qui via
& ratione certa in liberalibus studijs, si quis fructum inde spera-
tum percipere cupiat, progrediendum censeret, Anno etatis De-
cimo sexto Richardum Crocum, græcæ lingue peritissimum Pro-
fessorem, & Iohannem Metzlerum, audire cœpit, & à Præce-
ptore iussus condiscipulis suis exercitij causa Græcos quosdam est
interpretatus autores. Anno etiam sequente assiduus & dili-
gens longe doctiss. & optimi Viri Petri Mosellani fuit auditor,
& quidem cum tanto, tamq; eximio profectu, ut facile tum
quog; potuerit animaduerti, quod non multo post ipsis præcepto-
ribus suis in omni scientiarum, artium ac linguarum cognitione
longè superior futurus esset. Solent enim excellentes naturæ,
minimè obscura, futuræ præstantiæ, in prima statim etate &
adolescentia, signa de se exhibere. Sicut cum multa alia, tum illu-
stre testatur Themistoclis exemplum, cuius pueritiæ considerans
studia præceptor, verè ex iisdem coniecit & pronunciauit, illum
ingens aliquod vel bonum vel malum Reipublicæ futurum esse.

Fuit autem is annus, quo, ut diximus, Mosellanum audire
cœpit præceptor noster, à nato Christo 1517. quo impudentissimus
nugator Iohannes Tecelius Dominicanus, à Pontifice Romano
Leone decimo missus in Germaniam, pro exigua pecuniæ sum-
mula, etiam unius nummi pensione, omnium peccatorum & de-
lictorum expiationem largissime pollicebatur. Qui, cum in hoc
quoq; templo ædium Paulinarum, in quo & postea viuo adhuc
G E O R G I O Duce est sepultus, concessionem haberet, & huic
una cum Magistro suo Heltio præceptor quoq; noster interesset,
ac Vir pius & doctus impudentissime ab illo iactari audiret,
quamprimum in cistam deiectus nummus tinnijset, statim ex
profundissimo inferno animas defunctorum euolare: Age, ad
nostrum, dixit Heltus, præceptorem, hinc examus, non possum e-
nim istius malè feriati Monachi impudentissima mendacia &
vanissimas nugas amplius audiēdo tolerare, dictog; citius, secum
abire

abire iusso Praeceptore nostro, templo est egressus, & verbis & fa-
cto ipso declarans, sibi eiusmodi vanitatem serio displicere, & se
indicare, quod eadem quoq; Deo ingrata sit atq; inuisa, sed ad in-
stitutum nostrum redeamus. Per annos ferme integros quinq;
non sine singulari fructu & laude sua, in hac schola versatus
charissimus praceptor noster, anno etatis decimo octavo, hinc in
Academiam Erphordensem, tum temporis celebrem & floren-
tem, Mense Augusto, concessit, ubi magnus optimorum ado-
lescentum complurium, ob famam eruditionis, quam iam conse-
cutus fuerat, ad eum factus concursus, & singulari benevolentia
& amore doctissimi quig; ipsum complexi fuerunt. Sed peculia-
ris ipsi cum Helio Eobano Hesso, Viro optimo, & eius etatis præ-
stantissimo Poëta, necessitudo & familiaritas intercessit, annoq;
proximè insecuto publicè docuit, & suæ eruditionis illustre spe-
cimen edidit, id quod in nostra quoq; Academia, ex veteri in-
stituto, fieri consuevit ab ijs, qui ad Magisterij honorem & digni-
tatem aspirant. Cumq; ad veram sapientiam & doctrinam non
parum intelligeret momenti afferre, ad extera loca profe-
ctiones, quas Vlyssi Homerico magnam prudentia copiā präcla-
ram existimationem & laudem attulisse & conciliasse norat:
Anno etatis Vicesimo in Galliam ire constituit, cum ut urbes
& loca ampliss. regni illius perlustraret, tum ut in præcipuis
Academijs, quarum illa complures habet, ingenij & doctrina
præstantes & excellentes Viros audiret, et inde doctior reuertere-
tur. Verum impeditum fuit hoc iter fama ingentis pestis, que
sæuijt tum ijs in locis, per quæ ipsi necessario transeundum fu-
isset. Mansit igitur in Academia Erphordiense, usq; ad an-
num etatis sue Vicesimum primum, ibiq; bonarum artium ac
Philosophiae Magister solenni renunciatione, cum quibusdam alijs
doctissimis iuuenibus, declaratus fui t. Eodemq; anno celebritate
nominis LVTHERI & PHILIPPI, cum iam ante
quog; huic familiariter innotuisset, Mense Augusto Vuitebergam

B

venit



venit, & propter ingenij, doctrinæ ac virtutis præstantiam omnium in se oculos conuertit, ac præcipuis eius Scholæ Doctoribus ac Professoribus in primis charus fuit. LVTHERI verò & Philippi, clarissimorum Germaniae luminum, etiam domestica consuetudine & intima usus est familiaritate. Ac fuisse horum trium, in primis verò Philippi & Praeceptoris nostri propter voluntatum & studiorum similitudinem minime simulatam aut fucatam, sed veram & sinceram amicitiae coniunctionem, præter infinita alia mutuorum officiorum clara documenta, perspicuè ostendit aureum illud volumen Epistolarum, à Philippo ad Praeceptorem nostrum, per multos annos, usq; ad alterius mortem, de varijs rebus, piè, sapienter, doctè, grauiter & amicissime scriptarum. Dum Vuitebergæ commoratus fuit chariss. Praeceptor noster, Anno Christi M. D. XXII. mortem obiit in patria ipsius dilectissima mater, cum grauissimo dolore parentis liberorum, cognatorum & omnium bonorum. Ipse vero de cursu studiorum instituto nihil sibi remittendum iudicans constantissimè in illo perseverauit. Cumq; ea ætate in magna felicitatis parte poneretur, si quis Magnum illum Erasmus Roterodamum vidisset, cum illo contulisset sermones, dignus habitus esset, ad quem ille scriberet, quémue aliquo elogio ornaret, Suscepit iter ad eum ipsum tunc Basileæ versantem, Anno etatis XXXIII. Praeceptor noster, cumq; eo eiusmodi notitiam contraxit, de qua, cum ipse in commentarijs super librum primum Tusculanarum quæstionum fecerit expressam mentionem, hoc loco pluribus agere minime necessarium esse duximus. In Epistolis sane Erasmi, tam ad Philippum, quam ipsum quoq; praeceptorem scriptis, per quam honorificam eiusdem mentionem factam esse inueniuntur. His successit annus multis Germaniae partibus infaustus & infelix, quo, coorta horribili seditione rustica, multæ regiones & urbes grauiter afflcta & vastata, multi dignitate & facultatibus suis exuti & spoliati, multa millia hominum om-

nis



nis sexus, conditionis & etatis crudeliter vexata, & miserabiliter trucidata & imperfecta fuerunt. Ea in confusione & perturbatione rerum, etatis annum agens Vicesimum quintum, in Prussiam sibi excurrendum duxit preceptor noster, ut eam regionem amplam sane, celebrem & populosam, & interiacentia loca, per quae transiendum erat, inspiceret & perlustraret. Quocunq; autem in illo itinere venit, ubiq; aliquantulum substitit, diu latere non potuit, & certatim ipsi, cum à Viris doctis, tum ab alijs in aliqua dignitate constitutis atq; etiam à summis Principibus maximi fuerunt exhibiti honores. Nam & Colloquia illius audiē expetita, & conuiūia in gratiam illius instructa, & opera illius à multis desiderata fuit. Sed inde in patriam, ad Patrem atq; cognatos suos, redundum sibi duxit. Cumq; eo anno Senatus amplissimae Reipublicæ Noribergensis, qui singularis cuiusdam sapientiae & iusticiae nomine celebratur, diu agitata consilia, de noua constituenda Academia in sua urbe, & eidem prouentibus annuis Cœnobij ad sanctum Egidium, sanè opulentij, attribuendis, re ipsa ac factis exequi vellet, è multis maxime dignum & idoneum iudicauit preceptorem nostrum, quem, cum paucis alijs, tam splendido & utilissimo operi perficiendo adhiberet, eumq; honesto & ampio stipendio ad se inuitauit. Etsi autem opus institutum non omnino ad eum finem, quem Senatus ampliss: sibi proposuerat, peruenit: tamen postquam Noribergam in Vigilia Ascensionis Domini, Anno Christi 1526. accessisset, ea diligentia & fide, unā cum Collegis suis, munus docendi sibi commissum obiit, vt ea res singularem ipsi laudem, auditoribus, in quorum numero etiam nonnulli ex ordine Senatorio fuerunt, maximam conciliaret utilitatem, ac plurimum etiam ad ipsius urbis dignitatem & celebritatem adiumenti afferret. Secuta fuerunt eo anno comitia Spirensia, ubi cum principes & ordines Imperij legationem amplissimam, ad quam, inter alios proceres, etiam

delectus fuit Albertus Comes Mansfeldensis , ad Carolum
Quintum Imperatorem , in Hispanijs tunc degentem , mittere
decreuisset, placuit eidem, pro latino interprete, adiungi charissi-
mum præceptorem nostrum , quod illustri arguento est , etiam
tum celeberrimum propter doctrinam & virtutem nomen illius
fuisse. Et extat elegans Epistola, versibus ab Helio Eobano Hessio
conscripta , qua in Hispanias cogitanti præceptor i nostro , & iam
paranti iter , optima & faustissima quæq; precatur. Quamuis
profectio ipsa non processit , legatis ex ipso cursu , de sententia
principum & ordinum imperij , reuocatis. Mansit itaq; post re-
ditum in urbem in munere suo Scholastico, ac facile multorū &
summorum, in illa Republica, Virorum voluntates et studia , per
doctrinam , virtutem & humanitatem sibi suam, adiunxit. Ac
non multo post anno etatis 27. Anno Christi M. D. XXVII.
in matrimonium duxit honestam & pudicam virginem A N-
N A M , ex antiqua & nobili familia Truchesiorum ortam, cum
qua, ut honestos & christianos coniuges decet , per annos qua-
draginta sex amantissime & pacatissime vixit , & ex ea noue-
nos liberos suscepit , filios quinq; adhuc superstites , quorum ma-
ximus natu Ioannes à consilijs est Illustriss: Ducis Prussiæ , qui
opera illius multum in legationibus uti solet. Proximi duo Ioa-
chimus Medicinæ , Philippus Iurisprudentiæ Doctor , in am-
plissima Republica Noribergensi , cum magna laude mandatis
muneribus funguntur. Ludouicus paterna & fraterna laudis
æmulus patri post Gallicam peregrinationem haec tenus fidelissi-
me præsto fuit , & eum se præbuit , qui tanto patre non sit indig-
nus , & à quo summa quæq; sperari posse videantur. Godefri-
dus verò natu minimus Illustriss. principi Richardo Comiti Pa-
latinus Rheni utiliter inseruit. Filias verò quatuor procreauit ,
quarum due , piè in Christo obdormierunt , una quæ nupta fuit
viro clariss: doctiss: atq; optimo Esromo Rudigero , græcæ & la-
tina linguae primario professori in Academia VVitebergense.

Alte-

Altera virgo deceſſit. Reliquæ due adhuc supersunt, quarum una ante complures annos viro clariss. & doctissimo Ioanni Homelio excellentiss. Mathematico, iuncta matrimonio fuit, & nunc secundum maritum habet, clariss. viri Doctoris Schiltely, peritissimi Medici, piæ memoriae, filium Ioannem. Altera coniunx est clariss. viri Casparis Iungermani I. V. D. & professoris in hac nostra Schola. Piè autem in Christo, ex hac vita ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem deceſſit, uxor clariss. viri et chariss. præceptoris nostri, pietate, pudicitia, modestia, beneficentia, & omnibus virtutibus muliebrem sexum decentibus præstantissima matrona, anni superioris die XV. Mensis Iulij, relicto graui desiderio sui, cum liberis & alijs amicis, tum in primis chariss. suo marito. Et non obscurè potuit animaduerti, hunc tantum ex ipsis obitu concepisse dolorem, quem tamen, ut vir pius, sapiens & doctus, quantum potuit, reprimere studuit (Sunt autem optimæ naturæ & præstantia ingenia valde suorum amantia, & maximè philostorga) ut is etiam morbum ipsis, alioqui saeuissimum, magis exasperasse, & mortem quoq; illius accelerasse, non sine causa existimari possit. Sed de his plura hoc loco dicere supersedemus, & quæ reliqua sunt, prosequemur.

Fuit annus ætatis Vicesimus septimus, quo uxorem duxit, præceptoris nostro, propter graues quasdam calamitates, sane molestissimus. Nam eo ipso & cum aduersa valetudine illum grauiter conflictatum fuisse constat, & præter charissimi patris obitum, quem in hunc ipsum annum supra quoq; incidisse ostendimus, vehementer etiam illum exercuit fratris casus, de quo hoc loco plura adjicienda minimè opus esse duximus, cum res ipsa etiam vulgo sit nota. In his tamen omnibus talem se præbuit præceptor noster, ut facile animaduerteretur, posse ipsum in omni vita tenere modum, & utramq; fortunam, quod præcipuum quoddam sapientiæ & fortitudinis togatæ opus est, rectè & moderatè ferre. Celebrata sunt deinceps Anno CHRISTI

M. D. XXX. comitia Augustana, in quibus præcipuè suscepta deliberatio fuit, de rectè constituenda religione, & concordia inter dissentientes Ecclesiae Doctores sancienda. Cumq; ad urbem Augustam, præter Imperatorem Carolum Quintum, multi etiam principes & absentium Legati accederent, eò etiam cum mandatis missi quidam sunt à Republica Noribergense, quibus adiunctus fuit præceptor noster, ut suis consilijs præsto illic esset. Meminimus autem quoties mentio illorum consiliorum & actionum incideret, prolixè illum narrare, que curæ & sollicitudines tum optimum & doctissimum Virum Philippum Melanchthonem exercuerint, quantos ille labores & pericula sustinuerit, in scribenda & afferenda confessione, tum nomine principum sociorum, & quarundam urbium Imperatori exhibita, quam copiosas & acerbas ille profuderit lacrymas, tristem intuens Ecclesiae statum, & considerans grauissimum onus, quod humeris suis impositum sustineret. Facile autem coniici potuit, licet modestissime de his loqueretur præceptor noster, ipsius consilio & opera, multum & libenter, etiam tunc usum Philippum fuisse. Inter eos sanè is fuit, qui omnium postremi ex illo conuentu discesserunt domum reuersuri. Finitis igitur Comitijs, usq; ad annum XXXV. Noribergæ mansit, & in Scholis fideliter docere perrexit præceptor noster. Cumq; iam non solum ob ingenij præstantiam & doctrinam, sed etiam sapientiam & virtutem, passim nomen illius celebre esset, magnum se operæpreciuum, & rem Ecclesiae ac Reipublicæ christianaæ utilem, ac se principe dignam, facturum existimans Illustrissimus Dux Vurtenbergensis, instaurare Academiam Tubingensem aggressus fuit. In quo sibi potissimum consilio & opera charissimi præceptoris nostri, honesto à se stipendio inuitati, utendum esse duxit, & felicissime usus fuit. Speciosa enim forma, & laudabilis prædictæ Academia status, quam etiam nunc celebrem & florissantissimam esse nouimus, secundum Deum, & illarum regio-

num



num principes, vni praeceptoris nostro potissimum acceptus est
referendus. Ipse sanè ijs annis, quibus isthic versatus fuit, &
docuit, etiam scriptis suis, & peculiariter ibi compositis, atq; adi-
tis Rheticarum exercitationum elementis, nunquam satis lau-
datis, multum ad dignitatem & celebritatem nominis illius ad-
iunxit. Cum autem anno Christi XXXIX. Aprilis XXIIII.
die mortuus Saxonie Dux Georgius sine mascula prole, Duci
Henrico fratri, inclyto & fortiss. Heroi, harum regionum Do-
minium reliquisset, nihil Celsitudo huius, post aditam heredi-
tatem, suam personam & eminentem dignitatem magis decere
iudicauit, quam ut nostram hanc, à maioribus suis, laudatissi-
mis principibus, rectè & p̄eclarè constitutam Academiam,
sed postea iniuria temporum aliquantulum collapsam, instaura-
ret, amplificaret & ornaret. Quam ad rem cum quidem in
promptu Celsitudini ipsius essent sapientissima consilia clarissi-
morum & doctissimorum in aula, & utraq; Academia, viro-
rum, ing; his precipue Philippi Melanchthonis, tamen, de pia
& fideli huius subiectione, peculiariter quoq;, tam necessario et
magnifico operi praeceptorem nostrum, cuius sapientiam, eru-
ditionem & virtutem à multis praedicari intellexerat, censuit
adhibendum. Is igitur clementissime ad se scriptis à principe
Henrico literis, accedente etiam sollicita Philippi Melanchtho-
nis, quem non multo ante, videlicet Anno Christi XXXVIII.
Vuiteberga inuiserat, petitione, ne conditionem oblatam recu-
saret, permotus, (ac secum cogitans, quod non solum sibi, cognati-
s, amicis ac patriæ, sed vniuersæ Ecclesiæ & Reipublicæ Chri-
stianæ natus esset) id quod à se postulabatur & contendebatur,
haud grauatim impetrari passus fuit. Prius tamen, quam
huc se conferret, excurrendum sibi duxit ad conuentum Theo-
logorum, qui eo anno, nimirum supra millesimum quingentesi-
mum quadragesimo primo, Ratisbone institutus fuit, quod sci-
ret illi etiam Philippum Melanchthonem, quem impense ama-
bat

bat, interesse. Non est autem huius loci & argumenti, quid ibi actum fuerit, & effectum referre, cum id aliunde rectius et melius cognosci possit. Postquam autem ad hoc oppidum peruenit, quod iam indicati anni Calend. Nouemb. factum fuit, non longo interuallo post, vna cum paucis alijs, iussu ac mando Illustriss. Principis Henrici, felicissimae memoriae, patris Illustrissimi & fortissimi Saxoniae Ducis & Electoris Augusti, Domini nostri clementissimi ad instaurationem huius Academiae accessit, quamvis negotium ipsum testudinco gradu processit, & vix tandem post multiplices curas, sollicitudines & labores adoptatum finem ferè biennij interiecto spacio, iam mortuo Duce Henrico, peruenit. Ea autem forma Academiae nostrae à charissimo præceptore nostro descripta fuit, (cum à nemine ferè alio, quam à Reuerendo & clarissimo Viro Casparo Bornero Theologo præstantissimo, & viro longe optimo, hic iuuaretur) cuius illam nequaquam debeat pænitere. Nec desijt semel cœptum opus studiosissime urgere, & in hac Schola deinceps etiam pro virili sua collapsa restituere, prava corrigere, nocentia tollere, mediocriter consistentia fulcire, conatus fuit. Quodq; non solum nouis, & huius etatis hominibus congruentibus legibus ac statutis conformata & exornata, sed etiam, magna accessione annuorum reddituum, munificentissima liberalitate principum ac Ducum Saxoniae Mauricij & Augusti fratrum Germanorum, tum nondum Electoralem dignitatem consecutorum, auæta & amplificata hæc Academia fuit, consilio, opera, studio, intercessione charissimi præceptoris nostri magna ex parte effectum esse & impetratum nouimus pleriq; omnes. Ac potuit ea in re, non solum singularis prudentia & circumspectio, sed etiam laude digna moderatio, & animus illius ab omni propriæ dignitatis & emolumenti prava cupiditate alienus, liquido animaduerti & deprehendi. Cum enim, inter multos, ferè unus eminere, & quasi dominari in Republica nostra literaria posset,
quod

quod & Illustriss. harum regionum Principibus, & præcipuis
in illorum aula Viris, longe charissimus & acceptissimus esset,
& quiduis facilime impetrare posse videretur, propemodum in-
fra reliquos omnes se abiecit, collegas suos maximi fecit, & stu-
diose veneratus fuit, & re ipsa ac factis, commune magnum,
priuatum verò sibi paruum, ut veteris Poëtæ verbis utamur,
esse declarauit. Communitatem sanè studij bonarum Artium
suis consilijs, autoritate & opera non solum quoties Decani mu-
nere functus fuit, sed etiam per omne reliquum tempus anno-
rum 33. quibus hic fuit, plurimum iuuit, amplificauit & orna-
uit. Publicè verò, cum ijs temporibus, quibus Scholasticum
magistratum, quem Rectoratum vocamus, ter magna cum
laude sua, nec minore dignitate & utilitate Academia nostræ
gessit, tum alias priuatim magnopere rem communem ornare
& augere, & quibus potuit prodesse studuit, obtrectationes &
conuicia maleuolorum neglexit, multorum iniurias patienter
tolerauit, ac diligentissime cauit, ne quid sua culpa vel rebus
communibus detrimenti afferretur, vel priuatim cuiusquam
vitæ, famæ, dignitati ac fortunis noceretur. Vnde & mini-
me obscura affectio & propensio benevolentiae atq; amoris singu-
laris, ac præclara erga ipsum studia clarissimorum, doctissimo-
rum & optimorum Virorum fuerunt. De nostra quidem
Schola non immerito posse perhiberi videtur, quodeam lateriti-
am inuentam marmoream reliquerit: Sicut de Vrbe Roma, no-
uis legibus institutis, & veteribus correctis, ac multis ædificijs
exornata, Imperator Augustus gloriose solitus fuit dicere: Se
Vrbem, quam lateritiam acceperit, marmoream post se relictu-
rum esse. Nec dubium est, quin ad huius Academiæ dignita-
tem & celebritatem, illustris, de pietate, sapientia, doctrina &
virtutibus illius fama multum attulerit momenti. Nec huius
loci ant temporis est copiosiorem de his pertexere narrationem,
præsertim cum res omnium oculis sit exposita, & à nemine ferè

C

igno-

ignoretur. Hoc tamen summatis de viro clarissimo & praeceptore nostro charissimo (in bona autem, ut inquit ille, causa, vel tria sufficiunt verba) vere affirmari potest, in quibus scientijs, artibus ac linguis excellentissimis ingenij præditi homines, ocio liberali, sumptibus, & alijs ad discendum necessarijs rebus abundantes, ut eminerent, summa contentione & ardentissimo studio sibi elaborandum existimarunt, nostrum præceptorem, etiam inter multas difficultates & impedimenta, ita profecisse, ut ferre ad miraculum in illis excelluerit vniuersis. Quis enim ignorat? totum ab illo bonarum & liberalium artium orbem, quæ Cyclopædia est, percursum & absolutum fuisse. In lingua latina Ciceronem, in Græca Xenophontem, in Versibus Græcis Homerum, in latinis Maronem, ita sibi imitandum proposuisse præceptorem nostrum, & tantum in eo genere fuisse consecutum constat, quantum vix sperari ab ullo alio posse videatur. Extant Versus Græcè & latinè ab illo scripti, sunt in medio luculentæ orationes diuersorum argumentorum. Est præ manibus Græcè scripta Catechesis, quæ in ipsa quoq; Græcia studiose ab amantibus veritatis & pietatis sinceræ legi, perhibetur. Circumferuntur Homeliae Euangelicæ itidem ab ipso eruditissimè sermone græco conscriptæ. Extant Annotationes luculentæ & doctæ in Testamentum Nouum, & in utraq; lingua varijs ipsius Commentarij, Ethici, Politici, Historici, Anatomici, è quibus scire volentibus, facilime intelligere licet, tantam ingenij vim ac præstantiam, discendi studium & assiduitatem, tolerantium laborum, copiam scientiæ ac doctrinæ, iudicij dexteritatem, disertæ atq; illustris orationis facultatem & ubertatem in illo fuisse, quanta, absit inuidia dicto, in huius & superioris ætatis alio Viro docto an fuerit, ac nunc inueniri possit, non facile pronunciarit quisquam. Non est itaq; mirum, quod sapientia, doctrina & virtute præstantiss. quiq; nostra memoria Viri, cum nostræ gentis, tum externi, summis illum laudibus

bus celebrarunt, dum hic illum Germaniae Φωσῆα, alius placidissimum huius oculum, tertius magnum Ioachimum appellauit. Philippus quidem Melanchthon, Vir à nullo satis laudatus, præceptoris nostri, de grauissimis rebus, & difficilimis quæstionibus, iudicium & sententiam semper maximi fecit, atq; etiam sibi ipsi illum longissime præferre, ipsius nomen crebro in ore habere, & ad librorum illius lectionem veræ sapientiæ, & eruditæ doctrinæ amantes adolescentes frequenter adhortari solitus fuit. Quin & potentissimi Principes, & summi Monarchæ, ipsius noticiam & consuetudinem studiose expentes, operas illius certatim requisuerunt. Reuerendissimus quidem, atq; Illustrissimus Princeps Georgius Anhaldinus, cuius egregia pietas, sapientia, doctrina, virtus & humanitas, toti Christiano orbi, non est ignota, vel obscura, quanta gratia prosecutus, quanta, se infra suam dignitatem demittens, benevolentia & amore complexus fuerit præceptorem nostrum, neminem, nisi cui plane superiorum temporum Historiæ sunt ignota, latere potest. Solebat is & frequenter scribere ad præceptorem nostrum, & hinc ad mutua Colloquia, atq; conuersationes amicissimas clementer ipsum ad se euocare, & quod sub uno præceptore M. Helto didicissent, etiam condisculum suum nominare. Quæ res ipsi profectò perquam honorifica fuit, & famam nominis ipsius vehementer auxit & illustravit. Nam licet quemlibet ob proprias virtutes commendari & prædicari sit æquum: tamen ijs etiam placuisse, qui ipsi quoq; in laude viixerint, non postrema laus esse à veteri Poëta perhibetur. Et est remissi & dissoluti hominis, quid de se alijsentiant aut loquantur, negligere, & aspernari. Ac rectissime de Viris sapientibus, doctis & bonis iudicare posse eos, qui ipsi tales sunt, nemo prudens ac bonus, ut arbitror, negabit unquam.

Talis igitur cum fuerit Præceptor noster, ut meritò ab omnibus bonis plurimi fieret & amaretur, fieri aliter non potuit,

quin, sicut initio ab Illustriss. harum regionum principibus clementer ad hanc Scholam inuitatus & perductus fuit: ita etiam consilia ipsius difficilimis quoq; & periculosisimis temporibus expeterentur. Quale vero iudicium & existimatio de pietate, sapientia, doctrina & virtute eiusdem fuerit, etiam inuictissimi & potentissimi Regis Maximiliani Secundi, Romanorum Imperatoris semper Augusti &c. Domini nostri longe clementissimi, manifeste ex eo apparet, quod Cæsarea illius Maiestas, è multis maximè idoneum & dignum iudicauit, qui ad grauisimam, & Ecclesiæ Christi in primis necessariam, atq; utilissimam consultationem de repurganda, multis modis per humana somnia, corrupta doctrina Ecclesiæ, & Ecclesiastica disciplina ferè omnino collapsa, instauranda, ex hac Schola magnis sumptibus, Viennam Austriae euocaretur. Vetustas Epicharmum magnis laudibus ornauit, & impense celebravit præclara illius merita, erga suæ etatis iuuentutem, quod eam multis sapientibus, utilibus, & vita salutaribus præceptis instituerit & informarit. At ea laus multo rectius & verius nostro tribuitur præceptor, qui non solum, cum adhuc viueret, sua voce ingenitem suorum auditorum multitudinem præclare erudiuit, sed etiam eiusmodi composuit, edidit, & post se relinquit Commentarios & libros, quibus omnis posteritas egregiè & utiliter instrui poterit & informari. Tantum igitur Virum, de Ecclesia & Republica Christiana uniuersa, de bonis literis atq; artibus, de hac Schola publicè, & de quam plurimis nostrum priuatim optime meritum, hoc sanè incommodo, turbulento, atq; periculo tempore, quod nos amisisse doleamus, ac conqueramur, id vero eiusmodi est, ut à nullo sapiente & bono viro, iure ac merito posse reprehendi videatur. Etsi enim cum ipso omnino actum esse præclare statuendum est, quod iam grandævus ex hac vita emigravit (quartum enim & septuagesimum etatis sue, die ab hinc octavo, duodecimo nimirum huins Mensis Aprilis,

Aprilis, compleuit annum, cum animam ardenti preicatione
commendatam filio Dei XVII. Aprilis statim post horam po-
meridianam sextam placidissime exhalarit) & non solum gra-
uiissimis & acerbissimis nephriticis & disuricis doloribus ac cru-
ciatibus, cum quibus per proximos aliquot annos, ob crebras
morbi accessiones ferè continenter, sed cum admirabili patien-
tia, & illustri testificatione de fide & spe auxilijs ac liberationis
diuinæ, conflictatus fuit, omnibusq; huīus vitæ periculis &
calamitatibus est eruptus ac liberatus: Sed etiam per mortem
corporis ingressus est in vitam beatam & sempiternam, ubi
iam claro D.E I conspectu, & dulcissima fruitur consuetudi-
ne Ecclesie cœlestis, & ingenij doctrinæ, industrie, sapientiæ
& virtutis suæ præclarissimam memoriam, & illustrissima
monumenta, filios atq; filiarum maritos, laudum suarum emu-
los complures post se relinquat: tamen nos publicè ac priuatim,
longe grauissimas doloris & luctus nostri causas habemus, cum
videamus ac sentiamus, nostram hanc Scholam, obitu cha-
rissimi Præceptoris & fidelissimi parentis nostri, non dissimi-
lem esse factam naui, quæ excusso & amissso perito ac dili-
gente gubernatore, in maximorum malorum metu, & præ-
sentissimo submersionis periculo versatur. Disputarunt olim
Stoici, omnes animi perturbationes à præstantia naturæ nostræ
alienas esse, & negarunt in hominem sapientem ullam cadere
aegritudinem posse, de quo ipso, cum paulò superioribus diebus,
apud charissimum præceptorem nostrum, ubi tunc forte offi-
cij causa aderam, mentio incidisset, dicere illum memini: Si ve-
ra & consentanea sint, que de aegritudine, & omnibus per-
turbationibus à natura hominis remouendis, à Stoicis dispu-
tentur & asserantur, omnino se fateri, quod in sapientum nu-
mero collocari non possit. Non obscurè enim se, & variè
affici, atq; etiam sepe grauiter perturbari, significabat, cum
ob præsentia, tum impendentia pericula & incommoda, &

propius accedentem mortem. Quin & ipsa experientia clare testatur, & demonstrat, pro ut res dant esse, ut Comicus ait, ita magnos atq; humiles nos esse, consueuisse. Nec posseulla arte aut doctrina è natura nostra omnes motus & affectus animorum tolli. Zeno quidem Stoicæ discipline princeps, cum forte morsu impetus à cane commotus fuisset, & illum concitatus à se repelleret, cuidam id factum, ut minus professioni ipsius conueniens, reprehendenti, difficilimum esse, respondit, prorsus hominem exuere, & discedere à seipso. Nam sicut cäcumen arboris, ad terram inflexum, nisi decidatur, aut frangatur, ipsum iterum in altum se attollit: Ita quodlibet animal, etiamsi summo studio impedire conteris, sua naturæ sequitur appetitum, & instinctum, & fertur omnino ad ea, quæ ad sui conseruationem facere, ab ijs verò refugit, quæ eidem exitium & interitum afferre videntur. Non est igitur, cur quisquam dolorem & tristitiam, quam ex obitu charissimi Praeceptoris nostri concepimus, meritò reprehendat, vel metum mortis, quem in hoc fuisse negari non potest, inimicè interpretando accusatoriè exagitet ac damnet. Est enim mors ipsa planè contranaturam, & secundum Philosophum, omnium formidabilium maximè formidabilis, cuius metus & fuga etiam manifestissime apparuit in Filio DEI, ut non sine causa affirmarit sapientissimus Poëta, in magnis periculis & malis, etiam ex DEO natum, vehementer perturbari & fugere.

Charissimus igitur Praeceptor noster, etsi metum & horrorem mortis non omnino dissimulauit, nec ullis sermonibus se illam planè nihil curare ostendit, (quod facientes nonnulli in primis sibi esse gloriosum ducunt, ex eaq; re ambitiosè aliquam singularis constantie & firmitatis animi laudem vernantur) tamen manifestissimis verbis sape testatus fuit, cogitatione gratiæ ac misericordiæ DEI, propter Filium Mediatorem promissæ, sibi timorem mortis multo leuiorem ac tolerabiliorem

biliorem reddi. Ac possunt de perseverantia ipsius in agnitione, confessione & inuocatione unius solius veri Dei, & Domini Redemptoris ac Saluatoris nostri Iesu Christi, verè & prolixè testari omnes, qui consuetudine ipsius usi fuerunt, qui ipsum docentem audiuerunt, & ipsius scripta, pietatis pleniss. legerunt, qui ipsi agrotanti, & plane postremis aliquot diebus decumbenti, affuerunt. Sed idem etiam multo clarissime apparet de illis versiculis, quos, quantum scitur, ultimos Calend. Aprilis in charta quadam sua exarauit manu, in hunc modum:

Morte nihil tempestiuæ esse optatius aiunt,
Sed tempestiuam, quis putet, esse suam?
Qui putat, ille sapit, namq; ut fatalia vitæ,
Sic &, quisq; suæ, tempora mortis habet.

De ipso igitur, ut ostendimus, charissimo præceptore nostro actum est præclarè, & sunt victoriae ipsius per fidem in Christum Iesum, aduersus diabolum, peccatum & mortem, complura & manifestissima argumenta: Nos tamen doloris & lucretus nostri iustas & idoneas habemus causas, non solum, quod consilijs, studio & opera illius, quibus hactenus utiliter & feliciter, per annos triginta tres, in hac Schola usi fuimus, in posterum nobis carendum erit: Sed etiam, quod videatur mors illius bonis literis & artibus, atq; huic Scholæ (omen malum auertat ipse Filius Dei, autor & custos Ecclesiae, & honestorum studiorum) ingentes significare calamitates & ærumnas. Solent enim, ut saeuam aliquam tempestatem leue quoddam in aëre murmur, sic magnas perturbationes & confusiones in Ecclesia & Imperijs, pietate, sapientia, doctrina & virtute præstantium virorum antecedere mortes. Propheta Esaias quidem, inter pœnas populi Dei, & venturarum calamitatum eiusdem signa, disertis verbis illustrium, & de Ecclesia ac Republica bene meritorum Virorum obitus recenset. Et his ipsis, eam à clementissimo D E O tribui gratiam affirmat, ut prius ex statione sua, in qua in hac vita collocati

collocati fuerunt, in cœlestem patriam euocentur, quam grauiſſimarum calamitatum, ac pœnarum publicarum ingruat tempeſtas. Princeps etiam Philosophorum Plato, ex ijs Rebuspublicis, quas pro impietatis, & perpetratorum scelerum magnitudine conſtituit ulcisci Deus, prius viros sapientes & bonos auferri ſolere, maniſtiffime ſcriptum reliquit. Et non eſt ignota vox Pausaniæ, qua Rege Cleombroto in Leuctrica pugna obtruncato, ingentem cladem Spartanis ſignificatam fuſſe, pronunciauit, quod ſoleat magna aliqua calamitate alic. Reipubl. imminente, prius è media tollere ſapientia & virtute præſtan-tes Principes illius D. E. V. S. Non eſſe autem contemnendas, aut inaneſ huiusmodi voces & iudicia ſapientum, præter hiftoriā ſacras & prophanaſ omnium temporum, communis quoq; experientia teſtatur. Quis enim eſt, ut complura alia exempla ſilentio prætereamus, qui ignoret, quam horribilis bellorum tumultus, & ingens calamitas ſecuta fuerit, & grauiſſime afflixerit Germaniam, ſtatim poſt obitum, pietate, ſapientia, magnitudine animi, doctrina & virtute Clarissimi Viri D. Martini Lutheri, huius poſtremæ etatis mundi veriſſimi Eliæ. Nemo etiam ferè eſt, niſi qui vel omnium rerum eſt imperitus, cui ſit obſcurum, aut ignotū, quanta difficultates, confuſiones et per-turbationes in communi vita, quam atrocia & immania certa-mina in Ecclesia, (Doctořibus huius, plane inſtar Cadmeorum fratribus, inter ſe gladiatorijs animis congredientibus, & una parte alteram à ſe diſſidentem, quauis ratione opprimere & delere moliente,) ſint ſecuta ſummi & clarissimi Viri Philippi Melanchthonis mortem, quæ contigit anno decimo quarto, poſt felicem ex hac vita ad cœleſtem patriæ migrationem D. Luth-ri. Cumq; & hic ſit à morte Philippi annus decimus quartus, Climactericus ſeptenarius, non minores calamitates & arum-nas, quam eorum, quos modò nominauimus, caſus doctiſſ. & optimi Viri præceptoris noſtri, luminis totius Germaniæ, ſecum trahere

trahere, & bonis literis ac honestis studijs magnam aliquam
cladem portendere videtur. Quam, ut auertat & mitiget cle-
mentissimus D E V S, toto illum pectore oramus. Clare autem
animaduerti potest hunc mensem & diem, quasi peculiariter
Ecclesijs & Scholis harum regionum infaustum esse, & fatalem.
Decima nona enim Aprilis, ante annos quinquaginta, anno
videlicet Christi M. D. XXIIII. hic Lipsiae mortuus est, inge-
nio, doctrina, & virtute clarissimus Vir Petrus Mosellanus,
cuius morte ingens vulnus huic Scholæ, quod multis annis se-
quentibus difficulter potuit sanari, inflictum fuisse constat.

Eodem mense & die ante annos decem & quatuor Vuite-
bergæ ex hac vita emigravit ad cœlestem Academiam, incom-
parabilis pietatis, sapientia, doctrina & virtutis Vir Philippus
Melanchthon. Hoc eodem die ultimum funeris deductionis
officium præstamus longe clarissimo, doctissimo, atq; optimo Vi-
ro, totius Germaniaæ lumini, Iochimo Camerario, charissimo
præceptori nostro, nudius tertius piè in Christo defuncto. Ut
non sine singulari prouidentia diuina contigisse, existimari pos-
sit, eos, qui in vita coniunctissimi fuerunt, PHILIPPVM
& magnum IOACHIMVM intelligo, mortis quoq; propin-
quum tempus esse sortitos, & alterum illorum XIX. Mensis
Aprilis die excessisse ex hac vita, alterum eodem die sepeliri.
Decet autem nos intuentes in pericula & calamitates præsentes,
quaë multiplices sunt & magna, ac mala impendentia multo tri-
stiora metuentes, attentè & diligenter illorum considerare cau-
sas, in quorum numero præcipue peccata nostra, & enormia de-
licita inueniemus. Ac demus operam sedulò, ut per veram
pœnitentiam ad percutientem nos Deum conuertamus, & fidu-
cia vnigeniti Filij, Domini & Saluatoris nostri IESVCHRISTI
illum oremus, ne omnem in nos iusta ira sue indignatio-
nem effundat, sed nobis propitius sit ac placatus, propter eius-
dem Filij intercessionem ac merita, nec patiatur in Ecclesijs &

D

Scholis



Scholis harum & aliarum regis in barbaricam fieri vastitatem, sed in illis puritatem & synceritatem doctrinæ Euangelij, & studia veræ sapientiæ ac virtutis, clementer tueatur ac conseruet, & mentem ac voluntatem Illustrissimi & fortissimi Principis Saxoniae Ducis & Electoris Augusti, Domini nostri clementissimi, per gratiam sanctissimi Spiritus sui benignè illuminet, moueat, dirigat ac gubernet, ut rei ipsius magnitudine & necessitate considerata & expensa, longe clarissimo, doctissimo & optimo viro, piè defuncto preceptor nostro, talem aliquem designet ac constituat successorem, cuius consilia, studia & operæ, gloriae sanctissimi nominis diuini, incolumentati atq; saluti Ecclesiae & Reipublicæ Christianæ utiliter inseruant, et Celsitudini ipsius, atq; huic Scholæ sint honorificæ & fructuose. Academiæ quidem nostræ, hoc præsertim turbulentio & periculo tempore, nihil ferè omnium magis aduersum, tristius & luctuosius accidere potuisset, quam quod currus & auriga eiusdem, charissimus præceptor, & fidelissimus parens nobis est, per mortem, subductus & ereptus: Sed quoniam aeterno, iusto ac misericordi DEO, cuius recta consilia, iudicia occulta, & iusta sunt opera, sic visum fuit, decet nos benignissimæ illius voluntati piè acquiescere, ac meritorum charissimi præceptoris erga Ecclesiam uniuersam, & hanc Scholam nostram, & nos ipsos perpetuò conseruare. In horum autem temporum tristitia, periculis & ærumnis, publicis ac priuatis, nos sustentemus fiducia gratiæ ac misericordiæ diuinæ, in Filio nobis ostensæ, & nos erigamus, ac fidem nostram confirmemus cogitatione dulcissimæ promissionis de Ecclesiæ usq; ad finem huius mundi conseruatione, & perpetua ipsius Filij DEI præsentia in cœtu piorum, iuxta dictum: Ero vobiscum usq; ad seculi consummationem. Et in eandem sententiam apud Prophetam ait DOMINVS: Usq; ad Senectam ego ipse, & usq; ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo & saluabo.



saluabo. Ipsum igitur Filium D E I , autorem & custodem
suae Ecclesiae , E M A N V E L E M nostrum , vnà cum Pa-
tre & Spiritu sancto , unum , solum , verum , immortalem ,
bonum , iustum , fortem & misericordem D E V M toto pectore
oramus , ut semper in his quoq; regionibus aliquod semen san-
ctum sibi seruet , illarum Ecclesias & Scholas , & in his pia &
honestas studia , vnà cum pace & tranquillitate publica , ad o-
mnem posteritatem clementer tueatur ac conseruet , &
nobis omnibus , ut salutaria misericordia ipsius
vasa & organa simus , benig-
nissime largiatur .

D I X I .

¶ 50
\$

mit dem 10. Januar 1822 mit wiederkommen
zu einer weiteren Reise nach Norden und Süden
und verweilen im 6. und 7. Februar 1822
in der Stadt Berlin und auf dem Lande
und am 8. Februar 1822 wieder zurück
zu einem zweiten Aufenthalt von 10 Tagen
in der Stadt Berlin und auf dem Lande

1822

1822

Da 4694


x2207782

Ms. C.



Farbkarte #13

B.I.G.	Black
3/Color	White
Red	Magenta
Yellow	Red
Green	Yellow
Cyan	Green
Blue	Cyan



168
**Oratio
IN FVNE RE
REVERENDI ET CLA=**
R I S S I M I V I R I D O M I N I
I O A C H I M I C A M E R A R I I
Pabebergensis, vtriusq; linguæ in Academia
Lipsica excellentiss. Professoris, XIX. D.

Aprilis in æde collegij Paulini
Lipſiæ habita
ab

Andrea Freyhubio D. Theologiae.



LIPSIÆ
IOHANNES RHAMBA
EXCVDEBAT
Anno
M. D. LXXIIII.

